

1525

rum, forti animo repulerit; suadere, ne aliquid de societate pro præsenti Italæ statu retinendo statuat, priusquam Cæsar's voluntas, ac mandata ex Hispaniis perferantur.

*Fœdus in-
ter Clemens
em & Cæ-
sarem.*

Verum Pontifex, quem præsentia potius, quam futura urgabant, consilium amplexus, quo se, resque suas in tuto collocaret, & Cæsareanorum stimulis, & suorum adhortationibus impulsus, non expectata Cæsar's sententia, kal. aprilis cum Prorege fœdus iis conditionibus sanxit. Primum, ut communib[us] armis, atque auctoritate Franciscus Sfortia Cæsar's auspiciis in Insubrum possessione retineatur. Deinde, ut Cæsar Pontificie ditionis imperium adversus hostium injurias tueatur. Tum, ut in suam clientelam Florentinorum Rempublicam recipiat; Mediceæ familie dignitatem, atque amplitudinem nulla unquam de causa imminui in patria permittat: qui intra Ecclesiæ fines detinentur milites, statim amoveantur: centum aurorum millia Florentini Cæsar's Ducibus pendant. Quadrimestre spatum, ut hæc Caroli decreto firmentur, præfinitur. Venetæ Reipublicæ, ceterisque Italæ principibus viginti dies assignantur, ut æquis, honestisque conditionibus, si ita libuerit, in fœderis societatem coire possint. Atque his diebus Albaniæ Dux classe regia cum Rentio Cerite ad Centumcelas exceptus, majori parte suorum amissa, in Gallias reversus est. Patres, cum Pontificem Cæsari accessisse, minorisque auctoritatis principes eadem veluti tempestate jactatos, in eumdem portum delatos animadverterent; multa secum animo volvere, maximis curis agitari; Galliæ viribus consopitis, ac labefactatis, nulli rei, nisi Regis libertati aspirantibus; Pontifice adversus omnium opinionem in Cæsar's partes protracto, quot superesse, qui illius potentiae, aut adversari, aut relutari queant? Uni Senatui, & Reipublicæ libertatis, incolumentisque Italæ onus incumbere.

*Gaspar
Sormanus
a Francisci
Regis ma-
tre Vene-
tias missus.*

Miserat sane per eos dies Ludovica Francisci mater, cui ob Regis captivitatem totius regni administratio obtigerat, Venetias Gasparem Sormanum cum literis, quibus Senatui significabat, omnia in Galliis tuta esse, neque ex adverso prælio, Regisque captivitate quidquam, quod vires amplissimi regni imminuere, potentiam, ac majestatem possit, pertimescere: rogare, ut quæ semper fuit erga Venetiam Rempublicam Regis.